

qui moverunt quæstionem de Elia, fuerunt Petrus, Jacobus, et Joannes, et occasionem acceperunt ex transfiguratione Domini, ubi Moysen et Eliam viderunt. Itaque cum interrogant: *Quid ergo Scriba dicunt, quia Eliam oportet venire primum*, loquuntur de illo Elia, quem viderant in monte cum Christo. Igitur Christus respondens, *Elias quidem venturus est, et restituet omnia*, loquitur etiam de illo Elia particulari, qui apparuerat in transfiguratione. Secundo, idem patet ex illis verbis *Et restituet omnia*. Id enim non fecit Joannes Baptista, nec ullus alius. Nam restituere omnia, est omnes Judæos, et hæreticos, et forte multos Catholicos ab Antichristo deceptos revocare ad veram Fidem.

Sed instat Bibliander, quia Dominus Matt. XI de Joanne Baptista dicit: *Ipse est Elias qui venturus est*, quasi dicat. Ipse est Elias a Malachia promissus. Respondeo: Dominum velle dicere, Joannem fuisse Eliam promissum, non ad litteram, sed allegorice; ideo enim præmisit, *et si vultis recipere*: quasi dicat, Elias quidem in sua persona promissus, venturus est in ultimo adventu: tamen si vultis etiam aliquem Eliam in primo adventu, Joannem recipite. Ideo etiam subjunctum: *Qui habet aures audiendi audiat*; indicans mysterium fuisse quod dixerat, Joannem fuisse Eliam.

Quod denique verba Joannis Apoc. XI. intelligantur de singularibus personis Henoch et Elia, non de omnibus Doctoribus, patet ex eo quod ibidem Joannes dicit, eos interficiendos ab Antichristo, et corpora eorum per tres dies mansura insepulta in platea Hierusalem, et post tres dies eos resurrecturos, et in cælum ascensuros, quæ nulli hactenus contigerunt.

Respondere tamen conatur David Chytraeus in Com. ad hunc locum, ac primo ait: Joannem significare voluisse multos Lutheranos ministros a Papistis interficiendos; quibus tamen Deus vitam restituit, cum eos ad cælum evehit in æternum victuros. Secundo addit paulo infra, *interfectis illis Ministris, vitam corporis restituendam in die ultima resurrectionis*. Denique tertio, ibidem addit, posse etiam significari per hanc vitam restitutionem, quod videamus multos a Deo excitari alios Ministros in locum interfectorum cum eodem zelo et virtute.

At nimis leves sunt hæc responsiones. Prima enim defendi non potest, quia beatitudo animæ non est restitutio vitæ amissæ, sed

novæ vitæ acquisitio. Deinde duo illi testes in Apocalypsi coram omnibus resurgent, et corpore sursum versus elevabuntur, quod certe in beatitudine animæ non impletur.

Secunda solutio nihil etiam valet. Nam Joannes dicit, duos illos testes resurrecturos ante ultimum diem, durante nimirum adhuc statu hujus Mundi: addit enim Joannes, timorem magnum incutiendum inimicis eorum ex illa resurrectione: et paulo post terræ motum futurum, et septem millia hominum peritura. Tertia denique solutio non est ad rem. Nam Scriptura dicit, illos eosdem qui mortui fuerant excitandos, et in cælum assumendos: nos autem non vidimus adhuc ullum Ministrum Lutheranum resurgere, vel in cælum assumi. Quid, quod Joannes dicit, Henoch et Eliam saccis indutos prædicaturos, et Lutherani saccos ita oderunt, ut si forte eos habent, dum Lutherani fiunt, continuo eos abiciant.

Probatur secundo, vere in suis personis Eliam et Henoch venturos tempore Antichristi, ex consensu Patrum. Nam de Elia id asserunt Hilarius, Hieronymus, Origenes, Chrysostomus, et alii omnes Matthæi interpretes, in cap. XVII. Item Lactantius l. VII. c. 17. et Theodoretus in cap. ult. Malach. et Augustinus tract. 4. in Joan. et Primasius in c. XI Apoc.

De Henoch et Elia simul, id asserunt multi qui scribunt in Apocalypsim; ut Beda, Richardus et Arethas, ex quibus Arethas etiam addit, invariabiliter a tota Ecclesia credi, Henoch et Eliam venturos, ut se Antichristo opponant. Item Damascenus lib. IV. c. 28. Hippolytus martyr, in Orat. de Mund. consum. Neron B. Gregorius lib. XIV. c. 11. vel 12. et lib. IX. c. 4. Moral. et B. Augustinus lib. IX. c. 6. de Gen. ad lit.

Probatur tertio: quia aliquoquin non potest reddi ratio, cur isti duo sint rapiti ante mortem, et adhuc vivant in carne mortali, aliquando morituri. Nam etsi Judæi, ut Rab. Salomon in c. V. Genes. dicunt, Henoch a Deo occisus ante tempus, quia lenis et mutabilis erat, et Eliam asserunt, cum in curru igneo sursum ferretur, ab illo igne toto corpore exustum: et forte idem sentiunt Lutherani qui eos redituros negant; tamen Catholici omnes certa fide tenent utrumque in suis corporibus vivere. Quod enim mortuus non sit Henoch, Apostolus docet Heb. XI. Henoch translatus est, ne videret mortem: et quod tam ipse quam Elias mortui non sint, et ta-

men morituri sint; clare docent præter supra citatos, Ireneus, Tertullianus, Hieronymus, Augustinus et Epiphanius.

Ireneus lib. V loquens de Henoch et Elia: « Dicunt, inquit, Presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos, qui translati sunt, illic (in Paradisum terrestrem) translato esse, et ibi manere usque ad consummationem, conspicientes incorruptionem. » Tertullianus: lib. cont. Jud. cap. 2. de Henoch, sic ait: « Qui necdum mortem gustavit, ut æternitatis candidatus. » Epiphanius in Ancor. de Henoch et Elia sic ait: « Hi duo permanent in corpore et anima propter spem. » Hieronymus in epistol. ad Pammach. cont. Joan. Hierosol.: « Henoch, inquit, translatus est in carne, Elias carneus raptus est in cælum, necdum mortui, et Paradisi jam coloni etc. » Augustinus lib. de peccato originali c. 23.: « Henoch, inquit, et Eliam non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus, vivere. »

CAPUT VII.

Explicetur quarta Demonstratio.

Quarta demonstratio sumitur ex eo, quod certum est, Antichristi persecutionem fore gravissimam et notissimam; ita ut cessent omnes publicæ religionis ceremoniæ et sacrificia. Quod illa ultima persecutio sit futura gravissima, patet ex illo Matth. XXIV: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque erit* (1). Et ex Apoc. XX, ubi legitur: *Tunc Satanam solvendum* (2), qui usque ad illud tempus fuerat ligatus.

De quo loco disputans Augustinus lib. XX de Civit. Dei cap. 8. et 9. dicit, Antichristi tempore Diabolum solvendum, et proinde tanto graviorem fore illam persecutionem omnibus præcedentibus, quanto crudelius potest Diabulus servire solutus, quam ligatus. Itaque ait, tunc Diabolum omnibus suis et suorum viribus Ecclesiam vexaturum. Et Hippolytus martyr in Orat. de Mundi consum. ac Cyrillus Gatech. 43. dicunt, Martyres, quos Antichristus occidit, futuros illustres omnibus præteritis, quia præteriti, contra homines ministros Diaboli, at futuri,

contra ipsum Diabolum personaliter grassantem pugnabunt. At certe nihil tale experti sumus ab anno 600, vel etiam millesimo.

Dicunt quidem hæretici, se magnam persecutionem ab Antichristo pati, quia interdum comburantur aliqui de ipsorum numero: at quæ comparatio est talis persecutionis cum persecutione Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani, et aliorum? Siquidem pro uno hæretico qui comburitur, mille Christiani olim interficiebantur; idque in toto Orbe Romano exercebatur, non in una solum provincia: et cum modo summa poena sit, comburi hominem; tunc incredibilia, et diversissima tormentorum genera exercebantur. De quibus vide Cornelium Tacitum in Nerone, et ex nostris Eusebium in Hist. Eccles.

Scribit Damasus in vita Marcellini, supra 47 millia Christianorum intra unum mensem a Diocletiano interfecta: et Eusebius, qui tunc vivebat, scribit lib. VIII, cap. 6. hist. adeo fuisse omnes carceres plenos martyribus, ut nullus relinquere locus facinorosis: in toto vero eo libro, tot martyrio coronatos refert infra biennium, ut impossibile sit, numerum eorum inire. Adde, quod multo plures Catholicorum hæretici nostri occiderunt, his decem vel quindecim annis, in Gallia et Flandria, quam Inquisitores combusserint hæreticorum, forte in centum annis. Itaque non possunt appellare hanc persecutionem, sed potius bellum civile: nam, ut Augustinus docet ep. 80. ad Hesyeh, quando erit vera persecutio Antichristi, solius Ecclesie filii erit tribulatio: non autem eorum persecutoribus, sicut tempore Diocletiani, et superiorum Principum, Christiani solum cadebantur, non autem etiam cadebant.

Si vero persecutio dicenda est; Catholici potius eam patiuntur quam Lutherani et Calvinistæ. Catholici enim sunt, qui ex multis provinciis ejecti, Ecclesias, patrimonia, et ipsam etiam patriam amiserunt, invadentibus nimirum res alienas novis istius Evangelii Ministris, et ut diximus, et ex Com. Laurentii Surii, aliisque hujus temporis Historicis cognosci potest, multo plures Catholicorum furor Calvinistarum intra paucos annos absumpsit, quam heretici judicio Principum Catholicorum abnegate Fidei poenas dederint.

(1) Matth. XXIV, 21. — (2) Apoc. XX, 7.

Quod autem illa persecutio sit futura nobilissima et manifestissima, probat Augustinus lib. XX de Civit. Dei c. 14. ex illis verbis Apocalypsis XX: *Et cinxerunt castra Sanctorum, et dilectam civitatem* (1) His enim verbis significatur, omnes prorsus impios simul futuros in exercitu Antichristi, et aperto Marte oppugnatos omnem Sanctorum Ecclesiam. Nunc enim sunt multi ficti in Ecclesia, qui tegentes malitiam suam, corde sunt extra Ecclesiam, corpore intus: « At tunc erumpent omnes, inquit Augustinus, in apertam persecutionem ex latebris odiorum. » Hoc sane adeo non est impletum hoc tempore, ut nunquam fere fuerit major numerus falsorum fratrum, et fictorum Christianorum, et adeo non est nota nec manifesta hæc persecutio, ut nec illi qui dicunt se eam pati, nec nos qui dicimur eam inferre, possimus dicere, quando ceperit.

Certe persecutio Neronis, Domitiani, atque aliorum Principum Romanorum, ab Eusebio, Orosio, Sulpitio, diligenter annotata fuerunt: neque est dubium quando coeperint, et quando desierint: sicut etiam de Christi adventu, quia verus et manifestus fuit, optime scimus quando fuerit, et quibus primum manifestatus: nec ullæ sunt inter nos de ea re opiniones. At hæretici, qui dicunt Antichristum venisse, et jam per tot annos persecutionem exercuisse; tamen non possunt proferre unum Auctorem, qui annoverit quando Antichristus venerit, vel quibus apparuerit primum, vel quando inchoaverit persecutionem: et ipsi inter se ita dissident, ut unus dicat, eum venisse anno 200, alius anno 606, alius anno 773, alius anno 1000, alius anno 1200, ut non tam vigilantes loqui quam per quietem somnare videantur.

Denique, quod Antichristi tempore propter atrocitatem persecutionis cessare debeat publicum et quotidianum Ecclesie officium, et sacrificium, aperte docet Daniel c. XII: *A tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium dies 1290* (2). Ubi omnium consensu loquitur de tempore Antichristi, et ut exponunt Irenæus lib. V. Hieronymus et Theodoretus in hunc locum, Hippolytus martyr in Orat. de consum. Mundi, et Primasius in c. XI Apoc. sensus est; Antichristum interdicitur omnem divinam cultum, qui in Ecclesiis Christianorum nunc exercetur, ac præsertim sa-

crasantum Eucharistie sacrificium. Hoc autem signum nondum impletum, experientia testatur.

Ex quo tria colligi possunt. Primo, Antichristum nondum venisse, cum adhuc vigeat sacrificium iuge. Secundo, Romanum Pontificem non esse Antichristum; sed ei maxime contrarium, cum sacrificio, quod ille ablatum est, hic maxime ornet et tueatur. Tertio, hujus temporis hæreticos, præ omnibus aliis, Antichristi esse præcursores, cum nihil ardentius optent, quam sacrificium Eucharistie penitus abolere.

CAPUT VIII.

Explicatur quinta demonstratio.

Quinta demonstratio sumitur a duratione Antichristi. Antichristus non regnabit nisi tres annos cum medio: at Papa jam regnavit spiritualiter in Ecclesia plusquam 1500 annis, nec potest assignari ullus, qui sit habitus pro Antichristo, qui præcise regnaverit tribus annis cum medio; non igitur Papa est Antichristus; proinde nondum venit Antichristus.

Porro, Antichristi regnum trium annorum cum dimidio futurum, colligitur ex Daniele cap. VII et XII. Et ex Apoc. cap. XII, ubi legimus, duraturum Antichristi regnum per tempus, et tempora, et dimidium temporis. Nam per tempus, intelligitur unus annus, per tempora, duo anni, per dimidium temporis, medius annus. Sic enim explicat idem Joannes. Nam Apoc. XI et XIII dicit, Antichristum regnaturum mensibus 42, qui recte faciunt tres annos cum medio. Et cap. XI dicit, Henoch et Eliam prædicaturos diebus 1260, qui idem tempus efficiunt. Nam Hebraei utebantur annis, et mensibus lunariibus, etsi eos revocarent ad solares, addendo sexto quoque anno unam lunationem: tres autem anni lunares cum medio faciunt rectissime 42 menses, sive 1260 dies, siquidem annus lunaris mensibus, quorum quilibet habet 30 dies, ut Augustinus docet lib. XV de Civit. Dei, cap. 14.

Neque obstat quod Danielis XII dicitur Antichristus regnaturus 1290 diebus, hoc est, diebus 30 amplius, quam dixerit Joannes. Nam Joannes loquitur de Henoch et Elia, qui ab Antichristo occidentur uno mense antequam Antichristus pereat.

Ad hæc adversarii respondent tripliciter. Primo Chytraeus in cap. XI et XIII Apoc. dicit, non posse accipi hæc tempora pro tribus annis cum medio, quia experientia repugnat, et Paulus II. Thessal. II ait, Antichristum duraturum usque ad Christi adventum.

Secundo dicit, poni tempus certum pro incerto, et proinde pro 42 mensibus, vel 1260 diebus, intelligi debere plus quam mille annos. Idem dicit Bullingerus Serm. 46. in Apoc. cujus ratio videtur esse ea, quam insinuat Lutherus in Supput. temp. quia nimirum constat ex Apoc. XX, Diabolum solvendum anno millesimo, igitur Antichristi adventum cum gladio temporalis, fuit anno millesimo a Christo; jam igitur regnavit plus quam quingentis annis; Ergo oportet accipere illos menses 42 pro incerto tempore.

Tertio, respondent Magdeburgenses Cent. I. lib. II, cap. 4, col. 438, Danielem et Joannem accipere diem pro anno; et proinde pro mille et ducentis sexaginta diebus, intelligi debere 1260 annos. Ratio esse potest, quia etiam Dan. IX septuaginta hebdomadæ ab omnibus intelliguntur de septimanis annorum, non dierum. Et Ezech. IV dicitur: *Diem pro anno dedi tibi*. Et Luc. XIII: *Oportet me hodie, et cras, et perendie ambulare* (1), id est, tribus annis vivere. Quam rationem ponit Chytraeus in cap. XI Apoc. ubi ejusmodi annos et menses, Angelicos vocari dicit, non humanos.

At Contra est communis sententia Veterum, qui asserunt propter loca citata, solum tres annos cum medio Antichristum regnaturum. Hippolytus martyr in Orat. de consum. Mundi: « Tres, inquit, annos cum dimidio regnabit Antichristus super terram, post auferetur regnum illius, et gloria. » Irenæus lib. V in fine: « Regnabit, inquit, annis tribus, et mensibus sex, et tunc veniet Dominus de caelis. » Et Hieronymus in cap. VII Dan.: « Tempus, inquit, annum significat, tempora, juxta Hebraicis sermonis proprietatem, qui et ipsi dualem numerum habent, duos annos præfigurant; Dimidium

autem temporis, sex menses, quibus sancti potestati Antichristi permittendi sunt. » Cyrillus in Catech. 15: « Regnabit, inquit, Antichristus tribus annis, et dimidio tantum, quod non ex libris Apocryphis dicitur, sed ex Daniele Propheta. » Et Augustinus lib. XX de Civit. Dei cap. 23: « Antichristi, inquit, adversus Ecclesiam sævissimum regnum, licet exiguo spatio temporis sustinendum, qui vel dormitans hæc legit dubitare non sinitur. Tempus quippe, et tempora, et dimidium temporis, annum unum esse, et duos, et dimidium. Ac per hoc, tres annos et semissem, etiam numero dierum posterius posito, dilucescit, aliquando in Scripturis et mensium numero deelaratur. » Similia habent Theodoretus in cap. VII Dan., Primasius, Beda, Anselmus, Haymo, Arethus, Richardus, Rupertus in Apocalypsin.

Secundo idem probatur ex eo quod Scripturæ dicunt, tempus Diaboli soluti et Antichristi fore brevissimum, Apoc. XII: *Væ terræ et mari, quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*. Et Apoc. XX: *Ligavit eum per mille annos, et post hæc oportet solvi modico tempore* (2). Quomodo, quæso, hoc erit verum, si Antichristus regnabit 1260 annis? Sic enim diutius solutus erit, quam ligatus.

Tertio, quia, ut Augustinus argumentatur lib. XX de Civit. Dei cap. 8. et Gregorius lib. XXXIII Moral. cap. 12, nisi illa sævissima persecutio esset brevissima multi perirent, qui non sunt perituri. Unde et Dominus ait Matth. XXIV: *Nisi breviter fuissent dies illi, non feret saba omnis caro* (3): at quomodo erit brevissima, quæ supra mille annos durabit?

Quarto, Christus prædicavit solum tribus annis cum medio: ergo deest etiam, ut Antichristus non permittatur diutius prædicare.

Quinto, quia summa annorum mille ducenti sexaginta, quam adversarii constituent, nullo modo potest accommodari ad illa verba Danielis, et Joannis: *Tempus, et tempora, et dimidium temporis*. Nam per tempus debet intelligi sine dubio aliquis unus numerus, ut unus dies, una hebdomada, unus mensis, unus annus, unum Instrum. unum Jubileum, unum sæculum, unum millennium: sed si accipiamus unum millena-

(1) Apoc. XX, 8. — (2) Dan. XII, 11.

(1) Ezech. IV, 6; Luc. XIII, 33. — (2) Apoc. XII, 12; XX, 2. — (3) Matth. XXIV, 22.

rium, tunc Antichristus erit regnatus tribus millibus annorum, et quingentis; quod adversarii non admittunt. Si accipiamus unum sæculum, tempus Antichristi erunt anni trecenti quinquaginta; quod etiam non admittunt: et idem patet de uno jubileo etc.

Sexto, quia cum Danielis IV aliquoties legamus septem tempora transitura, quibus erit futurus extra regnum suum Nabuchodonosor; per illa tempora omnes intelligunt septem annos. Si enim vellemus intelligere annos annorum, ut intelligunt adversarii, cum de Antichristo agitur; oporteret dicere, Nabuchodonosor vixisse extra regnum bis mille, et quingentos quinquagintaquinque annos.

Neque difficile est ratiunculas eorum solvere: nam cum ait Chytræus, non posse accipi tres annos cum dimidio, de quibus loquitur Daniel et Joannes, proprie pro annis nostris usitatis, quia experientia testatur, Antichristum jam multo longiori tempore esse grassatum; manifeste petit principium, ut Dialectici loquuntur. Assumit enim quod est in controversia: id enim quaeritur, an Antichristus venerit. Cum vero addit, Antichristum ex Pauli sententia regnatum usque ad secundum Christi adventum; et inde concludit, oportere eum diutius regnare, quam tribus annis cum medio, non videt se, aut iterum principium petere, aut nihil dicere: nihil enim illa consecutio efficere potest, nisi assumatur, Antichristum jam venire; quod tamen in controversia est.

Ad id vero, quod tam ipse, quam Henricus Bullingerus dicunt, numerum certum pro incerto hoc loco accipi, respondeo: tunc solum certum numerum pro incerto poni, quando ponitur aliquis numerus plenus et perfectus, ut 10, 100, 1000, non autem quando assignantur varii numeri, ubi sunt magni et parvi admixti. Tunc ergo accipiendus est certus numerus pro incerto, quando Scriptura dicit Apoc. XX Diabolum per 1000 annos fuisse ligatum, ut exponit Augustinus lib. XX de Civit. Dei cap. 8. et Gregorius XXXIII Moral. cap. 12. non autem quando assignat tempus, tempora, et dimidium temporis, sive dies 1260, vel menses 42. Quorum enim numerorum varietas, si tempus incertum designatur?

Ad argumentum Illyrici dico: in Scrip-

tura inveniri quidem et recte dici hebdomadas annorum, non tamen dies pro annis, vel menses annorum. Nam hebdomadas annorum legimus Levitici XXV: *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum* etc. (1). Et recte dici patet, quia hebdomada denominatur a numero septenario, Graece, Latine et Hebraice: nam Hebraei dicunt *שבועות septimanam* a *שבע* quod est *septem*, ut etiam Graece dicitur *ἑβδομήκοντα*; et Latine septimana a numero septenario; sicut ergo septem dies dicuntur hebdomada dierum, ita septem anni hebdomada annorum. At mensem annorum, vel diem pro anno nusquam legimus, nec recte diceretur: nam mensis non denominatur a numero aliquo, sed a cursu Lunae, qui 30 diebus absolvitur. Hinc enim Hebraei vocant mensem *ירח*; id est *Lunam*, vel *חודש*; id est *innovationem*, scilicet, Lunae, et Graecis, mensis *μήνας* dicitur, quia Luna dicitur *μήνη*.

Similiter dies non significat numerum, sed tempus lucis Genes. I: *Vocavit Deus lucem diem, et tenebras noctem* (2). Neque obstat illud Ezech. IV: *Diem pro anno dedi tibi*. Nam non vult dicere, pro diebus ad litteram significari annos, alioqui oporteret, Ezechielem dormivisse super latus suum sinistrum annos 390, quod est impossibile: jusserat enim Deus, ut dormiret super latus sinistrum diebus 399, et addidit: *Diem pro anno dedi tibi*; si ergo dies illi pro annis accipiuntur, debuit Ezechiel dormire super latus sinistrum 390 annis: at non tamdiu vixit. Dicendum est igitur, dies ibi accipi vere pro diebus, sed dici pro annis datos, quia erant signum illi 399 dies, quibus dormivit Ezechiel, dormitionis Dei, per quam toleravit peccata Israelitarum, annis 390.

Ad id quod objicit Chytræus ex Luc. cap. XIII: *Oportet me hodie, et cras, et perendie ambulare* (3). Respondeo: non significari illis verbis (ut adversarii errantè dicunt) Christum tribus annis adhuc praedicaturum fuisse cum ea verba locutus est, siquidem ea verba Dominus pronuntiavit ultimo anno vitae suae. Nam, ut Hieronymus scribit in lib. de script. Eccles. in Joan. et res ipsa loquitur, Matthæus, Marcus et Lucas non scripserunt acta et verba Christi priorum duorum annorum, sed solum tertii anni. Dominus igitur per tres illos dies, vel intellexit triduum, quod erat consumpturus in itinere Hierosolymitano, ut Albertus et Cajetanus exponunt;

(1) Levit. XXV, 8. — (2) Gen. I, 5. — (3) Luc. XIII, 33.

vel certe eo loquendi modo significare voluit, se adhuc modicum tempus superviviturum, et praedicaturum, ut Jansenius recte docet. Itaque viderint Illyricus et Chytræus, ubinam dies menses Angelicos reperirent; in Scriptura enim nusquam reperiuntur.

CAPUT IX.

Explicatur sexta demonstratio.

Sexta demonstratio sumitur ex ultimo signo consequente Antichristum, quod erit Mundi consummatio. Nam Antichristi adventus erit paulo ante finem Mundi; ergo si Antichristus jamdudum venisset, ut adversarii dicunt, deberet Mundus jamdudum esse finitus. Daniel cap. VII his loquens de Antichristo; semel narrans visionem suam, et semel exponens visionem, utraque vice subjungit; post Antichristum statim secuturum ultimum iudicium: *Considerabam*, inquit, *cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est, et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus. Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit etc.* Et infra, explicans visionem: *Bestia quarta*, inquit, *quartum regnum erit: Porro cornua decem, decem Reges erunt, et alius consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et tres Reges humiliabit etc. Et tradentur in manu ejus per tempus, et tempora, et dimidium temporis, et iudicium sedebit etc.* (1).

Similis est propheta Joan. Apoc. XX: *Post hæc oportet illum solvi modico tempore, et vidi sedes, et sederunt super illas, et iudicium datum est eis etc.* (2). Et rursum idem Daniel postquam dixerat cap. XII. Antichristi regnum duraturum diebus mille ducentis et novaginta subjungit: *Beatus qui expectat et pervenit usque ad dies mille, trecentos et trigintaquinque* (3), hoc est, usque ad dies 43, post mortem Antichristi: tunc enim Dominus veniet ad iudicium, et coronas justitiæ victoribus reddet; ut exponunt Hieronymus, et Theodoretus in Com. hujus loci.

Deinde idem colligitur ex Matth. XXIV: *Praedicabitur hoc Evangelium regni in uni-*

verso mundo in testimonium omnibus gentibus, et tunc erit consummatio, id est, paulo post erit finis Mundi. Et infra: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum; et tunc apparebit signum filii hominis etc.* Idem ex II. Thess. II: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui etc.* (4). Ubi Apostolus docet, fore immediate post Antichristum venturum Christum, quia nimirum intercedet brevissimum tempus, et dolli ac fraudes Antichristi, quæ destrui coeptæ erunt per Eliam et Henech, destruentur penitus per ipsum Christi adventum, et horribilia signa præcedentia.

Idem denique habetur ex I. Joan. II: *Filioli, novissima hora est, et sicut audistis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi nulli facti sunt; Unde scimus quia novissima hora est* (5). Ubi Joannes dicit, hoc tempus a Christo usque ad finem Mundi esse novissimam horam, id est, novissimum tempus, sive ultimam ætatem, ut Augustinus exponit. Et probat pulcherrime ex hoc principio, quia scimus Antichristum venturum in fine Mundi: facit enim Joannes hoc argumentum. Scimus Antichristum venturum in fine Mundi: at nunc videmus jam adesse multos ejus præcursores, sive minores Antichristos; ergo signum est certum, hanc esse novissimam horam, sive ætatem. Quomodo posset aliquis sic argumentari de ultima hora noctis. Scimus Solem oriturum in ipso fine noctis: videmus autem nunc multos ejus radios jam illustrare aerem; ergo scimus hanc esse ultimam horam noctis.

Denique idem habetur ex communi consensu Patrum; Irenei lib. V in fine, Tertulliani lib. de Resurrect. Augustini lib. XX de Civit. Dei, cap. 19. et aliorum; et confessione adversariorum. Nam adversarii fatentur, Antichristum regnatum usque ad finem Mundi; ac proinde paulo post ejus interitum finem Mundi futurum.

Ex hoc igitur signo conjuncto cum superioribus, efficitur demonstratio insolubilis, qua probetur Antichristum nondum venisse, nec esse Romanum Pontificem. Nam si continuo post mortem Antichristi Mundus finietur, et Antichristus non vivet, postquam apparuerit et regnare cœperit, nisi tribus annis cum

(1) Dan. VII, 3 et 23. — (2) Apoc. XX, 3 et 4. — (3) Dan. XII, 12. — (4) Matth. XXIV, 14 et 29; II. Thessal. II, 8. — (5) I. Joan. II, 18.

dimidio; ergo non apparebit, nec regnare incipiet, nisi tribus annis cum dimidio ante Mundi finem: quod enim intercedet inter mortem Antichristi et finem Mundi, tam modicum est, ut pro nihilo reputetur. At Papa regnavit jam cum utroque gladio, etiam ipsorum adversariorum sententia, supra 500 annos; et tamen Mundus adhuc durat.

CAPUT X.

De nomine Antichristi.

Sequitur quarta disputatio, quæ erit de nomine proprio et caractere Antichristi. Fatentur omnes pertinere omnino ad Antichristum verba illa Joan. Apoc. XIII: *Et faciet omnes pusillos cum magnis, divites et pauperes, liberos et servos habere charactera in dextera manu, aut in frontibus suis; et ne quis possit emere aut vendere nisi habeat charactera, aut nomen bestie, aut numerum nominis ejus: hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestie. Numerus enim hominis est, et numerus ejus 666 (1).*

Sunt autem de hoc numero plures opiniones. Prima est eorum qui dicunt, hoc numero non designari nomen, sed tempus adventus vel mortis Antichristi. Ita Bullingerus qui præfat. homil. in Apoc. vult, designari tempus adventus Antichristi. Item Magdeburgenses, qui Centur. I, lib. II, cap. 4, volunt, designari tempus mortis Antichristi. Item quidam, qui, teste Clithoveo in lib. IV Damasc. cap. 28, volunt, designari mortem Mahumeti, quem dicunt esse Antichristum: quibus consentit Lyranus in hunc locum, qui non putat quidem Mahumetum esse Antichristum; tamen existimat, hoc numero significari mortem Mahumeti futuram fuisse anno 666, a Christi adventu.

Hæc opinio est absurdissima. Primo, quia Joannes dicit, se loqui de numero nominis bestie. Secundo, quia bestia, cujus est hic numerus, præcipit omnibus mercatoribus, ut eo pro signo utantur in contractibus, et patet Apoc. XIII; non ergo numerus est mortis bestie, sed ad ipsam viventem pertinet.

(1) Apoc. XIII, 16, 17 et 18.

Tertio, quia etiam est falsum, Mahumetum mortuum esse anno Christi 666. Quidam enim dicunt eum mortuum anno Domini 637, ut Matthæus Palmerius; quidam anno Domini 630, ut Cedrenus in Compend. hist. quidam anno Domini 638, ut Joannes Vaseus in Chron. Hispania.

Secunda opinio est Davidis Chytræi in c. XIII Apoc. qui docet nomen Antichristi esse *λατίνος*, vel Hebraice רומי Romanus; proinde Papam qui Princeps Latinus est, cum in Latio dominetur et Romanus est Pontifex, esse Antichristum. Idem docet Theodorus Bibliander tab. 10 et propterea tabulam undecimam suæ Chronologia, quæ incipit ab anno 600, inscribit, Latinos Papas. Rationes eorum due sunt; una, quia Irenæus lib. V docet, verisimile esse, hoc futurum nomen Antichristi; altera, quia revera litteræ hujus nominis efficiunt illum numerum, ut patet.

7	200.	λ.	30.	τ.	300.
7	6.	α.	1.	ε.	5.
Ϸ	40.	τ.	300.	ι.	10.
7	40.	ε.	5.	τ.	300.
7	40.	ι.	10.	α.	1.
7	400.	υ.	50.	υ.	500.
	666.	ο.	70.	666.	
		ς.	200.		
			666.		

Hæc opinio est prorsus temeraria. Nam in primis, Irenæus dicit quidem nomen *λατίνος*; probabiliter posse accommodari Antichristo: sed addit, multo probabilius esse, nomen Antichristi, non fore *λατίνος*; sed *ταρτάρω*; quod etiam exprimit illum numerum; et est nomen multo illustrius, cum Solem significet.

Præterea conjectura Irenæi, quæ tunc aliqua erat, modo nulla est. Ipse enim dicit, probabile esse Antichristum vocandum Latinum, non quia dominabitur in Latio, sed quia Latini erant, qui tunc regnabant latissime, et Orbem totum tenebant. Cum enim Antichristus debeat esse Rex potentissimus, sine dubio occupabit potentissima regna, quæ tunc inveniet: potentissima autem regnum est Latinorum, inquit Irenæus; ipsi enim nunc verissime regnant. Sane conjectura ista hoc tempore nihil valet: nam Latini non amplius regnant in toto Orbe terrarum, sed Turcæ sunt qui verissime regnant, et apud nos Hispani, et Galli, non Latini.

Præterea nomen Latini, ut significat Ro-

manum, non scribitur per *ei*, sed per simplex *Iota*; et tunc non reddit illum numerum. Quomodo etiam refelli potest commentum de nomine רומי? nam Romanus non potest terminari in *τ*, cum sit nomen masculinum: illa enim femininorum terminatio est apud Hebræos. Remota autem littera *τ*, desunt 400 ad numerum Antichristi. Item nomen *λατίνος*; si erit Antichristi nomen, erit proprium ei, et Arethas docet, et usitatum maxime; nam debet ostendi in signum ab omnibus qui emunt, aut vendunt: at nomen *λατίνος*, est commune; nec enim ullus Papa vocatus est unquam nomine proprio Latini, nec est hoc nomen usitatum; nunquam enim Papæ se Latinos vocant, sed solum Episcopos aut Papas.

Porro Romanus, nomen fuit proprium unius solius Pontificis; qui tamen non potuit esse Antichristus, cum non vixerit nisi mensibus quatuor: alioqui autem nomen est commune.

Denique, si solum hoc nomen *λατίνος*, vel Romanus efficerent numerum 666, aliquid dicerent adversarii: at innumerabilia nomina inveniuntur, quæ hunc eundem numerum reddunt. Hippolytus martyr, in Orat. de consummat. Mundi, notavit aliud nomen, quod reddit illum numerum, nimirum, ἀγνοῦμαι, id est, nego. Arethas annotavit septem. *λαμπίνος*, id est, illustris. *ταρτάρω*, id est, sol. *ὁ νεατάρω*, id est, victor. *κακίος ὁ ἀγρός*, id est, pravus Dux. *ἀληθὴς βλαβερός*, id est, vere nocens. *πάλαι βλαβανός*, id est, olim invidens. *ἀγρός ἀδικός*, id est, agnus nocens. Primasius addit aliud. *ἐνταρως*, id est, contrarius. Rupertus, et ante eum Haymo, excogitaverunt duo alia, nimirum *γανταρωτός*, quod est nomen Gothicum, et DIGLVX Latinum, quod facit 666, si Latino more accipiamus D. pro quingentesimo, I. pro uno, C. pro centum, L. pro quinquaginta, V. pro quinque, X. pro decem.

Ex recentioribus Gulielmus Lindanus, lib. III Dubitantii, notat, Martinum Lutherum reddere numerum 666, si litteræ Latinæ accipiantur pro numeris more Græcorum et Hebraicarum, hoc modo: A, 1. B, 2. C, 3. D, 4. E, 5. F, 6. G, 7. H, 8. I, 9. K, 10. L, 20. M, 30. N, 40. O, 50. P, 60. Q, 70. R, 80. S, 90. T, 100. V, 200. X, 300. Y, 400. Z, 500. Gilbertus Genebrardus lib. ult. Chron. notavit etiam nomen Lutheri Hebraice numerum illum efficere לולר.

7.	4.	σ.	200.	Addo ego in gra-
2.	2.	α.	1.	tiam Lutheri et Chy-
7.	10.	ζ.	60.	træi duo alia, nimi-
7.	4.	ο.	70.	rum דבר מרמי, id
20.	20.	υ.	50.	est, David Chytraeus,
7.	10.	ε.	50.	et σαζόνος; eundem
7.	400.	ι.	10.	numerum reddere,
7.	200.	ο.	70.	quod nomen ita con-
7.	10.	ς.	200.	venit Luthero, si-
7.	6.			cut Papæ nomen La-
		666.	666.	tini.

Tertia opinio est multorum Catholicorum, qui suspicantur, Antichristum vocandum *ἐνταρως*, tum quia hoc nomen proprie illi conveniat, tum etiam quia reddat exacte illum numerum. Ita Primasius, Anselmus, et Richardus.

Refutatur recte a Ruperto hæc opinio, quoniam nomen quod hic Joannes insinuat, non erit nomen Antichristo ab adversariis impositum, sed nomen quod ipse sibi usurpabit, et in quo gloriabitur adeo, ut jubeat inscribi in frontibus hominum. Non est autem credibile eum sibi assumpturum nomen aliquod odiosum aut vile, quale est *ἐνταρως*, et etiam omnia fere alia supra memorata.

Quarta sententia est ipsius Ruperii, qui existimat, hoc numero non significari nomen Antichristi, sed significari triplicem prævaricationem Diaboli in Antichristo complectendam. Nam senarius numerus, quia non pertingit ad septenarium, in quo est regni et beatitudinis, est numerus creaturae pro prævaricationem exidentis a requie: Diabolus autem triplicem prævaricationem incurrit, seu potius unam tripleavit. Primum enim prævaricatus est cum in se peccavit: deinde rursum cum primum hominem peccare fecit, et tunc ad simplicem sanitarum addidit sexagenarium: denique tertio prævaricabitur, cum per Antichristum totum Mundum seducet, et tunc ad sexagesimum addet sexcentisimum.

Quinta sententia Bedæ est, qui contraria via incedit ac docet, numerum senarium esse perfectum, quia sex diebus fecit Deus celum et terram: sexagesimum vero perfectiorem, et sexcentisimum perfectissimum; ex quo colligit, Antichristum designari per numerum 666, quia usurpabit sibi perfectissimum tributum, quod soli debetur Deo. In cujus rei figuram, legimus lib. III Reg. cap. X, Pondus auri, quod adferebatur Salomoni per singulos annos, fuisse talentorum sexcentorum sexaginta sex millium.

Hæ duæ sententiæ, non videntur satis quadrare cum eo, quod Joannes dicit, numerum illum esse numerum nominis, non dignitatis, aut prævaricationis: sed nec isti Patres voluerunt sententias illas suas alio loco haberi, quam suspicionum, et conjecturarum.

Verissima igitur sententia est eorum, qui ignorantiam suam confitentur, ac dicunt, adhuc ignorari nomen Antichristi: quæ sententia est Irenæi lib. V, Arethæ in hunc locum Apoc. et aliorum. Placet autem adscribere verba Irenæi, quoniam ad eum legendum Chytræus lectores suos hortatus est: « Hortor, inquit, studiosos, ut de hoc Apocalypsis loco postremas Irenæi paginas 333 et 334. perlegant, qui verecunde et pie de hoc numero bestie disputat, et inter cætera, Latinum seu Romanum fore Antichristum indicat, nomine *Λατίνος*; etc. » Irenæus igitur sic ait: « Certius ergo et sine periculo est, sustinere adimpletionem prophetiæ, quam suspicari et divinare nomina quælibet, quando multa nomina inveniri possunt habentia prædictum numerum. Et nihilominus quidem erit hæc eadem quæstio. Si enim multæ sunt quæ inveniuntur nomina, habentia numerum hunc quod ex ipsis portabit, qui veniet quæritur, quoniam autem non propter inopiam nominum habentium numerum nominis ejus dicimus hæc, sed propter timorem erga Deum, et zelum veritatis. *Εβραϊστί* enim nomen, habet numerum, de quo quæritur. Sed nihil de eo affirmamus. Sed et *Λατίνος* nomen sexcentorum sexaginta sex numerum, et valde verisimile est, quoniam verisimum regnum hoc habet vocabulum, Latini enim sunt, qui nunc regnant. Sed non in hoc nos gloriabimur. Sed et *τρίτη*, prima syllaba per duas Græcas vocales *τ* et *ι*, scripta, omnium nominum, quæ apud nos inveniuntur, magis fide dignum est. » Et infra: « Cum igitur tantum suasionum habeat hoc nomen Titan, tantam habeat verisimilitudinem, ut ex multis colligamus, ne forte Titan vocetur qui veniet, nos tamen non periclitabimur in eo, nec asseverantes pronuntiabimus, hoc eum nomen habiturum, scientes, quoniam si oportet manifeste præsentem tempore præconari nomen ejus, per ipsum utique editum fuisse, qui et Apocalypsim viderat. » Hæc ille.

Audiat igitur Chytræus Irenæum verecunde, pie et crudite disserentem, et non falso illi imponat, quod nunquam dixit. Nec enim

judicavit Irenæus, Antichristum fore Latinum, seu Romanum: sed ait, et aliquoties repetiit, non posse hoc tempore scri nomines Antichristi; idque duplici ratione, eaque optima approbavit. Prima, quia multa inveniuntur nomina, quæ numerum illum efficiunt; nec divinare liceat ex tam multis similibus, quod sit illud unum quod prædictum est. Deinde, quoniam si Deus vellet hoc tempore scri, per ipsum Joannem utique id prodidisset. Addidit vero, non inopia nominum se ita loqui, sed ex timore Dei, et zelo veritatis; ac propterea tria nomina in medium attulit, *Εβραϊστί*, *Λατίνος* et *τρίτη*, ex quibus secundum verisimilius primo, et tertium secundo affirmavit, nullum vero certum.

Tertiam quoque rationem addere possumus ex eodem Irenæo. Nam paulo ante disputans adversus eos, qui falsa nomina Antichristi ex propria sua intentione colligebant; ait, eos propterea in multa incommoda labi. Nam exponunt se periculo errandi, et alios decipiendi, atque id efficiendi, ut tam ipsi, quam alii permulti ab Antichristo facillime seducantur. Nam cum venerit, et aliud nomen habuerit, quam ipsi sibi persuaserunt eum habiturum, non habebitur ab eis pro Antichristo, atque ita non evitabitur. Quæ omnia incommoda sine dubio Lutheranis evenient, et præcipue hoc postremum. Quia enim sibi persuaserunt, Romanum Pontificem esse Antichristum, cum ille verus Antichristus advenierit, non facile cognoscetur ab eis; proinde nec evitabitur.

Est autem hoc loco notandum, Antichristi nomen fore notissimum, cum ille venerit: nam etiam antequam Christus veniret, Judæi non certo noverant quod nomine appellandus esset, etiamsi multa de ejus nomine Prophete prædixerant. Quin etiam Sibylla quædam, ut est in I lib. Carm. Sibyllinor. notaverat numerum nominis Christi futuri, ac dixerat esse 888, ut Joannes de Antichristo scripsit, numerum nominis ejus esse 666, et tamen nondum poterant homines ante Christi adventum dicere, vocandum esse Jesum. At posteaquam Christus venit, omnis controversia sublata est, et omnes omnino sciunt, eum Jesum appellari.

Sed, inquit Sibylla, quæ sit numeri totius summa docebo
Namque octo monadas, totidem decadas super ista
Atque hecatontadas octo, infidis significabit.
Humanis nomen, tu vero mente teneto.

10
8
200
70
400
200
888

Antichristi esse signum aliquod obedientiæ, et conjunctionis cum Romano Pontifice: non tamen eodem modo explicant, quod sit illud signum. Henricus Bullingerus serm. 61. in Apoc. vult, esse unctionem Chrismatism, quæ Christiani omnes Romano Pontifici obediens in frontibus consignantur. Theodorus Bibliander in Chron. tab. 10. dicit, characterem Antichristi esse professionem Romanæ Fidei, ita ut non habeatur verus Christianæ Fidei cultor, qui non profitetur, se Romanæ Ecclesiæ adherere. David Chytræus, præter hæc duo, addit juramentum fidelitatis, quod multi Pontifici Romano prestare coguntur: item unctionem sacerdotalem, quæ in vertice et manu accipitur, « et imprimi, ut Papiste, inquit, vocant, characterem indelebilem. » Denique procumbere ad statuas, et panem consecratum, et missis funebribus interesse.

Nec dissimilia sunt, quæ docent Sebastianus Meyer, et alii apud Augustinum Marloratum in hunc locum Apocalypsis. Sed facile est has nugæ refutare: tum quia non conveniunt cum verbis ipsius textus: tum etiam, quia ista omnia signa fuerunt in Ecclesia Catholica, antequam Antichristus eorum opinione apparisset.

Primum igitur ex textu habemus, characterem unum futurum, non multos. Semper enim in numero singulari Scriptura loquitur, tam de characterem, quam de nomine, et numero nominis Antichristi; unus igitur character erit; unum item nomen Antichristi proprium; et unus ejus nominis numerus. Proinde cum adversarii toti characteres multiplicent, indicant se nescire quis ille sit de quo Joannes loquitur.

Secundo, character ille omnibus hominibus communis erit in Antichristi regno, ut planum est ex illis verbis: « Faciet omnes pusillos et magnos, et divites et pauperes, et liberos et servos accipere characterem. » At juramentum obedientiæ, et unctio sacerdotalis paucis conveniunt.

Tertio indicat Scriptura, characterem ejusmodi fore, ut sine discrimine in manu dextera, vel in fronte geri possit; sic enim ait: « Faciet omnes accipere characterem in dextera manu vel in frontibus suis. » Nihil autem eorum, quæ adversarii proferunt, tale est. Nam Chrismatism unctio in manu dextera accipi non potest. Professio Romanæ Fidei, nec in manu, nec in fronte, sed in ore per confessionem, in corde per fidem

CAPUT XI.

De characterem Antichristi.

De characterem Antichristi sunt etiam duæ, vel tres opiniones. Prima est hereticorum hujus temporis, qui docent, characterem

habetur. Juramentum fidelitatis, manu et ore præstatur, sed in fronte gestari nullo modo potest. Unctio sacerdotalis nec in dextera manu proprie, nec in fronte accipitur, sed supra caput, et in digitis utriusque manus. Denique interesse Missis funebribus, procumbere ad statuas et Eucharistiam, non sunt frontis aut manuum officia, sed corporis totius, ac præcipue cernuntur in genibus.

Quarto eadem Scriptura dicit, in regno Antichristi neminem permittendum emere, aut vendere, nisi characterem ostenderit, aut nomen, aut numerum nominis ejus : at quot emunt, et vendunt in ditione Romani Pontificis, qui needum sunt Chrismate inuncti ; nec juramentum præstiterunt fidelitatis; nec sunt Sacerdotes? Nonne in ipsa urbe Roma, ubi Romanus Pontifex Sedem suam habet, plurimi Judæi publice negotiantur, emunt, et vendunt; cum tamen nullum habeant eorum signorum?

Veniatis ad alteram rationem, ac probeamus, ista omnia signa Antichristo antiquiora esse. Antichristus, adversariorum sententia, non venit ante annum Domini 606, at Tertullianus floruit circa annum 200, et tamen meminit Chrismatis in lib. de resurr. carn.: « Caro, inquit, abluitor ut anima emaculetur; caro angitur, ut anima consecratur. » Cyprianus floruit circa annum 250, et meminit Chrismatis lib. I, epist. 12.: « Ungi, inquit, necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit. » Augustinus floruit circa annum 420, et tamen ait tract. in Joan. 118.: « Quid est quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aqua, qua regenerantur, sive oleo, quo Chrismate inunguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. »

Pari ratione, Romanæ Ecclesiæ adherere, ante annum Domini 600, signum fuit, et character hominis vere Catholici. Scribit Augustin. in epist. 162. de Cæciliano, qui floruit circa annum Domini 300: « Posset non curare multitudinem conspirantium inimicorum, cum se videret, et Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, et cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per

(1) Luc. III, 23.

communicatorias litteras esse conjunctum. » Ambrosius, qui floruit circa annum Domini 390, in Orat. de obit. Satyri fratris sui: « Percunctatus, inquit, Episcopum est, an cum Episcopis Catholicis, id est, an cum Ecclesia Romana sentiret. »

Victor Uticensis, qui floruit circa annum Domini 490, in lib. I de persecut. Vandal. scribit: Arianum Presbyterum, cum Regi persuadere vellet, ne Catholicum quemdam hominem interficeret, his verbis usum: « Si peremeris eum gladio, incipient Romani eum martyrem prædicare. » Quo loco, Romanorum nomine, Afri Catholici designantur, qui certe non alia de causa Romani dicuntur ab Arianis, nisi quia Romanæ Ecclesiæ Fidem, non Arianam perfidiam sequebantur.

Juramentum obedientiæ Romano Pontifici factum, invenitur tempore S. Gregorii lib. X epistolar. ejus, epist. 31. ac proiade ante annum Domini 606, non enim ad eum annum S. Gregorius pervenit.

De unctione sacerdotali habemus testimonium Gregorii Nazianzeni, qui floruit circa annum 380. Is in Apologet. ad patrem suum, quando Episcopus Sasimorum creatus est: « Super me, inquit, rursus unctio et spiritus: et rursus ego lugens et tristis incedo. » Quo loco duplicis unctionis meminit; unius, qua antea unctus fuerat, cum Presbyter crearetur; et alterius, qua tum unctus erat in ordinatione Episcopali. Item Orat. I. de pace, de Basilio loquens, qui Episcopus creatus provinciam recusabat: « Cum creditum, inquit, sibi spiritum, talentorumque negotiationem, gregisque curam commissam habeat, oleoque Sacerdotii, et perfectionis delibatus sit, adhuc tamen pro sua sapientia præfecturam suscipere cunctatur. »

Jam de Sacrificio pro defunctis, satis erit hoc loco Augustini testimonium, qui lib. de hæres. cap. 53. dicit, proprium dogma Aërii hæresiarchæ fuisse: oblationem pro mortuis offerre non oportere.

De adoratione imaginum unus Hieronymus, qui circa annum 400 floruit, nobis sufficit. Is in vita Paulæ: « Prostrata, inquit, ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. » Denique de adoratione Eucharistiæ S. Ambrosius merito sufficere debet, qui lib. III de Spir. S. cap. 12. expli-

cans illud: *Adorate scabellum pedum ejus*: « Itaque, inquit, per scabellum terra intelligatur; per terram, caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt. » Quod idem fere iisdem verbis dicit Augustinus in explie. Psal. XCVIII.

Cum igitur ista omnia, quæ adversarii characteres Antichristi esse volunt, in usu Ecclesiæ Catholice fuerint multis annis antequam Antichristus nasceretur; oportet necessario, aut Antichristum ea ab Ecclesia didicisse; et hoc dicere, est Antichristum cum Christo confundere: aut nihil eorum ad Antichristi characteres pertinere. Atque hoc est quod nos contendimus. Atque hæc sufficienti de temeraria ista, et absurdissima adversariorum sententia, quam ipsi nullis testibus, nullisque rationibus probaverunt.

Alter opinio est Catholicorum quorundam, qui putant, characterem Antichristi esse litteras, quibus scribitur nomen Antichristi. Ita Primasius, Beda, et Rupertus, qui videntur decepti ex eo, quod legunt: « Nisi qui habuerit characterem nominis bestiae, aut numerum nominis ejus. » At Joannes non sic ait, sed hoc modo: « Nisi qui habuerit characterem, aut nomen bestiae, aut numerum nominis ejus. » Et consentit Græcus textus: *ei μὴ ὄσων τὸ ἄνθρωπον, ἢ τὸ ὄνομα τοῦ θηρίου, ἢ τὴν ἀριθμὸν τοῦ ὄνοματός αὐτοῦ.*

Tertia sententia est Hippolyti martyris in Orat. de consummat. Mundi, et aliorum quorundam: characterem bestiae futurum, non uti signo crucis, sed illud potius excrari et abolere: in quo egregie Antichristum præcurrunt Calvinistæ. Crediderim ego, etiam positivum characterem excogitandum ab Antichristo, sicut Christus habet signum crucis omnibus notum, sed ignorari, quoniam sit iste character, donec Antichristus veniat, sicut de nomine diximus.

CAPUT XII.

De generatione Antichristi.

Quantum ad quintum, de generatione Antichristi, sunt quedam aperte erronea a quibusdam asserta, quedam probabilia, et quedam explorata ac certa. Primum ergo,

de Antichristo plures errores fuerunt olim. Primus, quod Antichristus sit nasciturus de virgine opera Diaboli; quomodo Christus de virgine natus est opera Spiritus sancti.

Refert hunc errorem auctor Opuse. de Antichristo, quod habetur sub nomine Augustini in fine tom. IX, quod opusculum probabile est esse Rabani: certe Augustini esse non potest. Error est manifestus, nam producere hominem sine semine viri, est opus solius Dei, qui potest supplere omnes efficientes causas, quia ipse est solus infinitæ virtutis, et continet virtualiter omnem perfectionem creaturarum. Diabolus autem qui creatura est, potest quidem mira opera facere, applicando celerrime activa passivis: at supplere virtutes activas causarum non potest. Quare S. Augustinus in epist. 3. ad Volus. dicit, nasci de virgine, tale miraculum fuisse in Christo, ut majus a Deo expectari non potuerit.

Non esset tamen error, si quis diceret, Antichristum nasciturum ex Diabolo et muliere, eo modo, quo dicuntur quidam nati ex incubis demonibus. Nam etsi Diabolus non possit per se sine semine viri hominem producere: tamen bene potest in corpore assumpto in forma mulieris exercere cum viro actum carnalem, et semen recipere, ac deinde ipse idem in forma viri cum muliere similem actum exercere, et semen a viro acceptum in utero mulieris injicere, et eo modo hominem gignere. Testatur hoc Augustinus lib. XV de Civit. Dei, cap. 23. et addit, tanta experientia id comprobatum esse, ut adhuc velle negare impudentia videatur.

Secundus error fuit B. Martyris Hippolyti, qui in Orat. de consummat. Mundi docet, Antichristum esse ipsum Diabolum, qui de falsa virgine falsam carnem assumet. Ut enim verbum Dei, quod est ipsa veritas, de vera virgine veram carnem assumpsit: ita probabile existimavit Hippolytus, Diabolum qui est pater mendacii, simulaturum se carnem humanam ex virgine assumpsisse. Refellitur hæc sententia, tum quia II. Thessal. II vocatur Antichristus homo; tum etiam quia Patres ceteri communi consensu scribunt, Antichristum verum hominem futurum.

Tertius error est, Antichristum futurum quidem verum hominem, sed simul etiam Diabolum, per incarnationem Diaboli, quomodo Christus per incarnationem est Deus

et homo. Referunt et refellunt hunc errorem Hieronymus in cap. VII Dan. Beda in cap. XIII Apoc. et Damascenus lib. IV, cap. 27.

Hanc sententiam Origenes possibilem esse credidit, quippe qui tom. V in Joan. asseruit, aliquot Angelos vere esse incarnatos; quem refellit Hieronymus in priefat. in Malach. et in cap. I Aggæi. Ac sine dubio erronea est, nec enim potest persona aliqua creata, ac proinde finita, duas naturas perfectas sustentare, ut potest Verbum Dei, quod infinitum est. Neque de hoc jam inter Theologos controversia est: nam etsi alii doceant, id omnino implicare contradictionem; alii vero doceant, non implicare; tamen in eo omnes conveniunt, non posse id fieri viribus solius creature, qualis Diabolus est.

Quartus error est Neronem resurrecturum, et ipsum futurum Antichristum, vel certe illum adhuc vivere et servari occulte in vigore juvenilis etatis, et suo tempore appariturum. Insinuat hunc errorem Sulpitius lib. II sac. hist. tamen in II. lib. Dial. de virtut. S. Martini scribit aperte, non ipsum Neronem fore Antichristum, sed cum Antichristo venturum, et ab Antichristo tandem perimendum. Sed, quia hæc omnia sine ulla ratione dicuntur, merito hanc sententiam miram presumptionem vocat B. Augustinus lib. XX de Civit. Dei, cap. 19.

Præter hos errores sunt duæ sententiæ probabiles SS. Patrum de generatione Antichristi.

Prima est, Antichristum de fornicaria muliere nasciturum, non ex legitimo matrimonio. Docent hoc Damascenus lib. IV, cap. 27. et quidam alii, sed cum non possit ex Scripturis ostendi, est quidem probabile, non tamen certum.

Secunda sententia est, Antichristum nasciturum de tribu Dan. Asserit hoc Ireneus lib. V, Hippolytus martyr in Orat. de Mundi consum. Ambrosius lib. de benedict. Patriarch. cap. 7. Augustinus quæst. 22 in Josue. Prosper de promiss. et prædict. Dei, par. 4. Theodoretus quæst. 109, in Genes. Gregorius lib. XXXI. Moral. cap. 10. Beda, Rupertus, Arethas, Richardus, et Anselmus in Apoc. cap. VII. Probant ex illo Genes. XLIX. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita etc.* Item ex illo Hierem. VIII. *Ex Dan audivimus fremitum equorum ejus etc.* (1). De-

nique ex eo quod Apoc. VII, ubi signantur ab Angelo duodecim millia ex omni tribu filiorum Israel, omittitur tribu Dan: quod videtur factum in odium Antichristi.

Hæc sententia est valde probabilis propter fantorum Patrum auctoritatem; non tamen omnino certa; tunc quia perique eorum Patrum non dicunt hoc se scire, sed probabile esse insinuant; tum, quia nulla earum Scripturarum convincit. Nam in primis Genes. XLIX. videtur Jacob ad litteram loqui de Samsone, cum ait: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, et mordeat ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.* Samsen enim fuit de tribu Dan, et fuit vere Philistheis tanquam coluber in via: nam ubique eis occurrebat, eosque vexabat. Ita exponit Hieronymus in quæst. Hebr. Et videtur sane Jacob bene precari filio suo, cum hæc dicit, et proinde non malum, sed bonum prædicere.

Quod si ad Antichristum allegoricè id accommodetur; non poterit argumentum duci nisi probabile, quale ex mysticis sensibus ducitur. Hieremias autem cap. VIII. sine dubio non loquitur de Antichristo, neque de tribu Dan, sed de Nabuchodonosor, qui venturus erat ad Hierusalem evertendam, per eam regionem quæ dicebatur Dan, ut ibi Hieronymus recte exponit. Cur autem Apoc. VII. omittatur Dan, non satis constat, præsertim cum etiam Ephraim sit omissus cujus tribus una est ex maximis.

Præter hæc duo probabilia, sunt alia duo certissima: unum, Antichristum, præcipue propter Judæos venturum, et ab eis tanquam Messiam recipiendum: alterum, ex gente Judæorum nasciturum, et circumcidendum, et Sabbatum observaturum, saltem ad tempus. Illud primum habetur, tum ex Evangelio Joan. V. ubi Dominus Judæis dicit: *Ego veni in nomine Patris mei, et non receperitis me. Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Quem locum de Antichristo accipi debere, supra demonstravimus in 2. cap. tum ex Apostolo II. ad Thessal. II: *Eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fiant, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio etc.* (2). Hunc locum Calvinus, et alii hæretici in commentariis horum verborum, de nobis exponunt, qui, quia non recipimus ipsorum Evangelium, ab Antichristo Romano seduci sinimur. At in primis nullos proferunt tes-

tes: nos vero habemus a nostra parte omnes Interpretes, qui de Judæis exponunt. Vide Ambrosium, Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, Ecumenium.

Præter hos sic ait Hieronymus quæst. 44. ad Algasiam: « Faciet, inquit, hæc omnia Antichristus, non cum virtute, sed concessionem Dei propter Judæos, ut quia noluerunt recipere caritatem veritatis, hoc est, spiritum Dei per Christum, ut Salvatore suscepto salvi fierent: Mittet illis Deus non operatorem, sed ipsam operationem, id est, fontem erroris, ut credant mendacio etc. » Et etiam sine commentariis tot Patrum res ipsa clamat, Apostolum loqui de Judæis: ipse enim dicit mittendum Antichristum ad eos qui Christum recipere noluerunt; qui sunt autem qui magis debuerunt, et noluerunt Christum recipere quam Judæi? Ubi etiam est annotandum, Apostolum non dixisse, quia veritatem non recipient, sed quia non receperunt. Loquitur igitur de illis qui, prædicante Christo et Apostolis, credere noluerunt. Constat autem Apostolorum tempore Gentiles cupidissime Evangelium recepisse: Judæos autem recipere noluisse.

Ad hæc, præter Hieronymum et alios jam citatos, idem docent omnes alii Patres, ut Ireneus lib. V. Hippolytus martyr in Orat. de consum. Mundi. Theodoretus in Epit. divinar. decretor. cap. de Antichr. Sulpitius ex B. Martino lib. II. Dialog. Cyrillus Catech. 45. Hilarius can. 25. in Matth. Ambrosius lib. X. in Lucam in cap. 21. Chrysostomus, Augustinus, et Cyrillus Alexandrinus in cap. V. Joan. Gregorius lib. XXXI. Moral. cap. 10. Damascenus lib. IV. cap. 27. Et ratio etiam id suadet.

Nam Antichristus sine dubio illis in primis est adjuget, qui parati sunt eum recipere: et Judæi sunt ejusmodi, qui expectant Messiam Regem temporalem, qualis erit Antichristus; Gentiles enim neminem expectant: Christiani autem expectant quidem Antichristum, sed cum metu et terrore, non cum gaudio et desiderio. Sicut ergo Christus primum ad Judæos venit, quibus erat promissus, et a quibus expectabatur, et deinde adjunxit sibi etiam Gentes; ita quoque Antichristus ad Judæos primum accedet, a quibus expectatur, et deinde paulatim omnes Gentes sibi subjiciet.

Jam vero quod Antichristus sit futurus Judæus, et circumcisus, certum est, et deducitur primum ex dictis. Nam Judæi nunquam

reciperent hominem non Judæum, aut incircumcisum pro suo Messia. Imo etiam quia Judæi expectant Messiam ex familia David, et tribu Juda; sine dubio Antichristus licet veresit de tribu Dan, finget se esse de familia David. Deinde omnes Veteres clarissime docent Antichristum fore Judæum, ut illi duodecim paulo ante citati, qui dicunt eum futurum ex tribu Dan. Et præterea Ambrosius, qui in II. Thessal. II. asserit, eum fore circumcisum, et Hieronymus, qui in c. XI Dan. dicit, eum de populo Judæorum nasciturum, et S. Martinus apud Sulpitium lib. II. Dial. qui ait, Antichristum imperatorem, ut omnes secundum legem circumciantur, et Cyrillus, qui Catech. 45. asserit, eum valde studiosum futurum templi Hierosolymitani, ut se de progenie David esse ostendat. Denique et Gregorius, qui lib. XI. in epist. 3. dicit, Antichristum futurum etiam Sabbati, et aliarum ceremoniarum Judaicarum cultorem.

Ex his habemus demonstrationem evidentissimam, quod Papa non sit Antichristus. Nam ab anno sexcentesimo sexto, quo adversarii dicunt Antichristum venisse, constat nullum Pontificem fuisse Judæum, nec gentem, nec religionem, nec ullo modo: Constat etiam, Pontificem nunquam hactenus a Judæis fuisse pro Messia susceptum, sed e contrario pro hoste et persecutore præcipuo haberi. Unde ipsi in orationibus quotidianis Deum precantur, ut det Pontifici viventi bonam mentem erga Judæos, et ut in diebus illius mittat Messiam, qui nimirum eos liberet de potestate Pontificis, et Episcopum, qualis in primis est summus Pontifex, ipsi vocant משיחא quod Syriace *caudam* significat et opponitur capiti. Quia enim nos Episcopum vocamus Caput populi: illi e contrario caudam per contumeliam vocant; tantum abest, ut parati sint Pontificem summum pro Messia recipere.

Denique R. Levi Gerson, cap. VII. et X. Dan. omnia quæ dicuntur de Antichristo exponit de Pontifice Romano, quem etiam alterum Pharaonem appellat, et Messiae venturo opponit. Vide Orat. Mahasor, fol. 26.

(1) Gen. XLIX, 17; Jerem. VIII, 16. — (2) Joan. V. 43; II. Thessal. II, 10.